



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo  
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

§. 7. Cur, ex parte dæmonum, indigni honoribus inescentur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

nachi promotione, quantum ille tribulatus ex-  
titerat in sua eiectione. Ecce si astutos & dolosos  
punit etiam in presenti Deus, de tribulatione,  
confusione, & deiectione Prælatorum Ecclesia,  
hodie magis quàm ante nostra tempora abun-  
dant exempla. Et hoc fortè ideò, quia DEI vo-  
luntas in illorum promotione non fuit. Ipsi reg-  
nauerunt, & non ex me: principes extiterunt,  
& non cognoui. Verba sunt Dei per os Osee pro-  
pheta. Denique si quidquam sortes, si fortu-  
na, si casus in hominibus potest, etiam hac  
via ad dignitates gradiuntur.

*Si fortuna volet, fies de Rhetore Consul:*

*Si volet hæc eadem, fies de Consule Rhetor.*

§. VII.

*Cur, ex parte dæmonum, indigni honoribus  
inescentur?*

Dæmon quoque sæpenumerò est author,  
vt boni non succedant, & eorum loco mali  
honoribus floreat, occupentque & no-  
men, in Republica, & dignitatem. Sic alios  
à virtute auocat, alios illicit in vitia; alios,  
ne veritatem videant, inescat vanitate.

Henricus Teutonicus, vir æquè pius, ac do- Thom:  
ctus, in Ordine Patrum Dominicanorum, Cantipr:  
prouinciæ Transmarinæ præerat. lib. 2. A-  
Visita- pum. cap.  
bat igitur de more aliquando Ptolemaidem, 57. §. 29.

Q 3

quæ

quæ alio nomine Aco, & Accon solet appellari. Ea in ciuitate, cùm apud Fratres suos esset, à cœna, eos pia adhortatione reficiendos extra cœnobium duxit, in amoenum quemdam locum, ad occidentalem vrbis partem, propter mare, situm. Iam in orbem omnes humi confederant, cùm à littore cœpit quædam exoriri nebula, quæ sese longè lateque super mare diffundebat. Sed mox iterum, cælo serenato, dissipata est. Ea dispulsa, visendum apparuit spectaculum. Mons enim eximie altitudinis è fluctibus videbatur emerfisse. Super montem, per gyrum, admirabilis quædam erat structura, in modum castri murorum ambitu, turribus, ac palatijs decentissima dispositione circumposita. Ab hoc castro, vsque ad litus pons ingens porrigebatur, quem equites, peditesque, diuerso ornatu atque figura, ascendere, atque descendere putabantur. Potuit tale spectaculum, non solum oculos tenere, verum etiam pedes allicere intuentium. Quamobrem etiam Fratres eius montis aspectu attoniti hærebant. Henricus igitur, *Surgamus, Fratres, inquit, eamus ad orationem, illud enim diabolus oculis nostris, ut curiositate nos teneat, & à Dei opere torpeamus.* Quidam illico se-

cede-

cedebant, quidam curiositate ducti, inibi permanferunt euentum rei expectantes. Tam diu ea res visa est, donec inter diem & noctem cælum crepusculasceret. Tum igitur rursus nebula de littore propagata & montem & mare texit; moxque iterum disiecta est. Ea disiectâ etiam mons, & muri, & palatia, & omnis pompa umbratilis videri desierunt. Talibus illecebris fallere homines Orcus solet, & à diuinis rebus auocare: tales nebulas, tales umbras, tales arces, & muros, & palatia in aëre ædificare, & nescio quos non montes aureos, & coronas aureas, aut torques aureos hominibus promittere; vt ijs inescati muneris & virtutis suæ obliuiscantur. Nec desunt illi modi. Nam & promouentium iudicia corrumpit; & quædam etiam Stygiâ subinde arte largitur promouendis, vt fascinet promotores. Quo pacto Loysio Gaufredi, omnium magorum antesignano, auctoritatem maximam apud Gallos conciliauit, sed tandem in fumum, & ignem, & infernum desiturâ. Cuius plus quàm tragica facinora, & miserandum interitum alibi recensui. Vix aliquid simile vidit orbis.